0227
0225
0231
0221
0236
0216
0276
0176
0326
0126
0726

effectus, Helena mater ejus cruce inventa et idolis ejectis super loca sancta templum construxit, et conditio Christianorum meliorata est, Judaeorum vero pejor in dies effecta, et ita cum pace magna Christiani in Jerusalem Deo servierunt LV annis. Porro anno Domini CCCLXIII adeptus est imperium turbator pacis fidelium Julianus apostata a fide et a religionis professione. Qui audiens, quod esset in Jerusalem ecclesia solennis et conventus maximus Christianorum, venit illac et arripuit occasionem saeviendi in Christianos et apprehensum sanctum Cyriacum, urbis Hierosolymitanae episcopum, qui crucis sanctae inventor fuerat, eum crucifixit pro eo, quia crucis gloriam praedicavit. Hoc Judaei audientes cum tripudio et gaudio convenerunt et muneribus multis Caesaris favorem acquisiverunt et Christianos apud eum magis odiosos fecerunt. Excogitato autem modo, quo Christianos turbaret, Judaeos exaltare decrevit et convocatis ad se primis et optimis Judaeorum interrogavit, cur non sacrificarent Deo suo, cum tamen eis lex sua de sacrificiis imperet? At illi occasionem se invenisse temporis rati, non possumus, inquiunt, nisi in solo Jerosolymorum templo sacrificare secundum legem, cum autem iam templum non habemus in Jerusalem, sacrificare non possumus, nec hic, nec alibi. Rogamus igitur tuam clementiam, nobis indulgeri, ut templum aedificemus suo loco, et sacrificabimus pro tua et imperii salute. Accepta ergo recuperandi templum licentia in tantam dementiam Judaei venerunt, ut Julianum apostatam sceleratissimum prophetam esse in lege eis promissum ubique divulgarent. Igitur ex omnibus locis et provinciis convenere Iudaei, locumque templi olim igne consumti aggredi coeperunt, comite operis exsequendi ab imperatore concesso, sumtu publico et privato administrato, et res omni instantia gerebatur. Interea Judaei insultare nostris coeperunt et velut reparatis sibi regni temporibus comminari acrius ac saevitiam ostentare, prorsus in magno tumore ac superbia egere.

Ende

Anfang

Praeerat autem tunc ecclesiae Hierosolymitanae Cyrillus episcopus, vir sanctus. Apertis igitur fundamentis lapides grandes, calces, caementa, ligna sunt adhibita, nihilque omnino deerat, quia postero die veteribus deturbatis nova jacerent

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;